

cunq; quæsito colore in proprios usus conuertere, illosq; usurpare
 præsumpserit, seu impedire, ne ab us, ad quos iure pertinent
 percipiantur: is anathemati tam diu subiaceat, quam diu, in
 residuones, bona, res, iura, fructus, et redditus quos occupa-
 uerit, uel qui ad eum quomodocunq; etiam ex donatione suppo-
 sita persona peruenerint, ecclesia, eiusq; administratori, siue
 beneficiato, integre restituerit. ac demde a Rom. Pont. abso-
 lutionem obtinuerit. Quod si eiusdem ecclesie Patronus
 fuerit, etiam iure Patronatus, ultra prædictas poenas, eo ipso
 priuatus existat. Clericus uero, qui nefandæ fraudis, uel
 usurpationis huiusmodi fabricator, seu consentiens fuerit,
 eisdem poenis subiaceat. Necnon quibuscunq; beneficijs priuatus
 sit, et ad quacunq; alia beneficia inhabilis efficiatur, et a
 suorum ordinum executione, etiam post integram satisfactione
 et absolutionem sui ordinarij arbitrio suspendatur

Decretum super petitione concessionis Calicis publicatum in
 eadem Sessione vi. sub S. D. N. Pio. P. P. iiii die 17. Sept. 1562

(19)

Insuper cum eadem sacrosancta Synodus superiori Sessione
 duos articulos alios propositos, et tum nondum discussos. ut
 An rationes, quibus sancta Cath. Ecclesia adducta fuit, ut co-
 municaret laicos atq; etiam non celebrantes sacerdotes sub
 una panis specie, ita sint retinenda, ut nulla ratione Calicis
 usus cuiq; sit permittendus. et An si honestis, et Christiane
 charitati consentaneis rationibus concedendus alicui uel
 Nationi, uel Regno Calicis usus uideatur sub aliquibus con-
 ditionibus concedendus sit; et quænam sint illæ: in aliud

tempus oblata sibi occasione examinandos, atque diffini-
endos reservauerit; nunc, eorum, pro quibus petitur
saluti optime consultum uolens, decreuit integrum nego-
tium ad Sanctiss. D. N. esse referendum; prout presenti
Decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat,
quod utile Rei P. Christiana, et salutare petentibus usum
Calicis fore iudicauerit

Decreto futura Sessionis

Insuper eadem Sacrosancta Tridentina Synodus diem
futura Sessionis ad feriam quintam post octauam festi-
uitatis omnium Sanctorum, quae erit dies XII. mensis
nouembrii indicit, et in ea decernetur de Sacramento Or-
dinis, et de Sacramento Matrimonij

(20)

Sequuntur Decreta quae publicata fuerunt
in Septima Sessione eiusdem sacri Concilij
Tridentini die XV mensis July MDLXIII

Vera et Catholica doctrina de Sacramento Ordinis
ad condemnandos errores nostri temporis a sancta
Synodo Tridentina decreta et publicata in Sessione
Septima die XV July 1563.